FRANCISCI

ARCHIEPISCOPI

ROTHOMAGENSIS,

Normaniæ Primatis,

AD

VRBANVM VIII.

PONT. MAX.

PONTIFICALIA,

VEL

GRATVLATORIVM CARMEN.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud ANTONIVM STEPHANVM, Typographum Regium, via Iacobæa, ad insigne Oliuæ Roberti Stephani.

M. DC. XXIII.

FRANCISCI
ARCHIEPISCOPI
ROTHOMAGENSIS,
Normaniæ Primatis,

AD
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.
PONTIFICALIA,
VEL
GRATVLATORIVM CARMEN.

Vdax Iapeti genitor, cui cymba domúsque
Imperiúmque fuit nouæ & irremeabilis vndæ,
[a] *Septimus à primo,* [b] *Mundum damnâsse*
PER ARCAM
Traditur, & Themidis PRÆCO, *Fideique Tonantis*
HÆRES, dum [c] PER AQVAM *saluat: docuistis vt ambo,*
Romuleæ [d] COMPAR *Sessor Doctórque Cathedræ.*
Scilicet vnda eadem freta per diuersa vagantes
Mergit & attollit: foris Error, at intus & est Spes,

a 1. *Petr.* 2. ℣. 5. Octauum Noë Iustitiæ Præconē custodiuit.
b *Hebr.* 11. ℣. 7. Per quā (*Arcā*) damnauit Mūdum: & Iustitiæ, quæ per Fidem est, Hæres est institutus.
c 1. *Petr.* 3. ℣. 20. Octo animæ saluæ factę sunt per aquam.
d *Philipp.* 4. ℣. 3.

Et Spe certa Salus Noächenæ conditur Vrnæ.
O tu, qui Christi Nauem regis arte magistrâ,
Ad puppímque sedes PETRI, *clauúmque gubernas:*
Nomina cui Vrbani mores, capiti Vrbis & Orbis,
Mille per arcanas sortes Vrbana dedêre:
Deliciæ humani generis: cognomine [e] PRÆCO
IVSTITIÆ OCTAVVS, *Fidei certissimus* HÆRES;
Liberat & perdit cuius Romana potestas
PER*que* ARCAM, PER AQVAM*que, proüt discrimine tanto*
Quisque salutarem ex Arcâ sibi fecerit vndam,
Imbribus vt mediis noto succedat ouili:
Ingredere, ô Magni custos gregis! aurea tecum
Sæcla refer, nobísque aufer tamen aurea sæcla;
Quæ colit ignarísque exsudat inutilis ætas.
Ferrea sunt, nec habet præter Pastoria pellem
Cura, vbi inaurato spes vellere fulgeat amens:
Fistula nec carmen, nec Amor PASCENDI, *at* HABENDI,
Verba refert veluti resonis in vocibus Echo.
Votum in Amante nouum est: Vtinam quod amamus, abesset!
Verùm & ades, sacro cui pendet fistula collo,
Pastorum Christi vigilum dux, pastor, amores.
Salue, Sancte Parens, sancti reuerentior æqui:
Nunquid is es, qui, dum se spontè armenta sequuntur,
Nunc regit Imp., nunc pectine mulcet eburno?
Seu cum GREGORIO *meditare ingentia* MAGNO,
Missus in imperium Magnum, compellis & acres
Ipse iugo ingemere ac dubios intrare Britannos;
Inque nouis curis veteres reuocantibus annos,
PRINCIPIS *ingenium* DOCTI *allicis, & premis vltro*
Magnanimum Ductorem, propositíque tenacem

[e] Ex Præfecto Signaturæ Iustitiæ, Vrbanus VIII. Pont. Max. factus.

Cogis abhinc sancto tecûm indulgêre labori.
Connubij accendis tædas, ac pronuba sacri
Spiramenta oris per vincula quæque resoluis :
Vnde tibi[f] ALDIBERGA, *noui noua nupta mariti,*
*A*LDIBERTÆOS *virtute secundet amores,*
Et sua sic capiant primordia non suæ Gentem
[g]*A*NGELICAM. *At si opere ex tanto quoque cura remittens,*
Pastorale canit signum, atque arguta Pelasgi
GREGORII *lyra nunc tibi suadet amabile carmen;*
Jam te redde tuis : animo hæc mea rura peragra,
*Vnde virescentes tua sancta A*D LIMINA *laurus*
Exuuias portat, veteris tibi pignus amici.
Spes & Amor certatim istas legêre corollas :
Et si me Vatem, qui me, fecêre, Poëtam,
Fatidici Calathi; manibus dabo LILIA *plenis,*
Dum nos nostráque ames, quod Gallus inaugurat Orbis.
Nec certè,[h] PIVS, *Æneas cui Syluius olim*
Nomen erat, studiis haud degener ille relictis,
Se (pietate grauem) erubuit dixisse POETAM,
Libera si memorem faciebat Epistola versûs.
Hic contemptor opum, ingeniis sapienter alendis
Regum æquabat opes, ridénsque talenta[i] *Calixti*
Eruta, nec renuens vmquam conspexit, auaros
Ne faciente oculos, illa aurea sæcla piorum,
Fortè aliis rursus Latio regnanda, retardet.
Iam regnanda iterum : nouus en iam regnat Apollo
Saturni comes; hic, medium quem plurima turba
Nostra habet, atque humeris exstantem suspicit altis.
Quid cuiusque ferat virtus, quid ferre recuset,
Atque oris docti diuina potentia quantùm

f Anglia externo coniugio Christiana, iugum Domini portat, Aldiberto Anglorū Rege, Aldibergæ, Heroïnæ Gallæ vxoris amplectente fidem.

g S.Gregorium Anglos ANGELOS vocitâsse, notum est.

h Pius II. Pont. Max. dictus quondam POETA LAVREATVS, Poëtæ nomen retinuit.

i Relictos à Calixto III. thesauros Pius II. eius successor sibi oblatos nō vidisse sed risisse fertur.

Fulminet, & quo quæque loco fortuna locanda,
(Principibus magnum) hic vnus se iudice nouit,
Omnia qui famæ incendens crescentis amore,
Virtutes terris, animos æquabit Olympo.

FINIS.

EIVSDEM

VRBANVS, Ecloga.

VRBANVS, RVSTICVS, ROMANVS.

INcipe Sequanicos mecum, mea fistula, cantus.
Fistula cantanti intermissa resumitur. ô vos
Mecum vnà, Pastores: en Pater audit & ipse
Pastorum, atque facit noua carmina. nos noua nostris
Carmina dicamus Tiberi resonanda cicutis.
[a] Monte sub arguto (perhibent vbi Martyras olim
Sanguineis Christi plagis minióque rubentes
Hos Dionysiacos; quos inter RVSTICVS esset,
Dum [b] GALATEA Deum & Christum in sua vota vocare
Cœperat) VRBANVS quondam fuit, & fuit illic
Rothomagi Pastor ROMANVS, talibus orsus:
RO. Incipe Sequanicos mecum, mea fistula, cantus.
Intonsi montes, & Rothomagensibus agri,
(AVDOENVM propter Pastorem) ac flumina nota,
Ducite ab Vrbe domum VRBANVM, atque adducite mecum.
VR. Omnia respondent Vrbi; Vrbi flumina vestra,
Et nemora, & montes, mea quos modò tibia amabat,
Respondent: Vatum in modulis, Iouis omnia plena.
Vrbs & Pastorem facit, & facit Vrbs mea Vatem.

[a] Mons Martyrum, Lutetiæ imminens.

[b] Lutetia.

Dicite, Sequanides; Nunc possumus omnia in omnes.
RO. *Quæ vox? tibia quæ? procul his à montibus, Echo,*
Quid geminas, aut quídve refers mea carmina ad Vrbem?
Simplicitas & agros colit, & geminata recedit.
Prudentem docet vt, Serpentis imagine, Christus;
Simplex ipsa manum regit &, sua cura, Columba.
Ducite ab Vrbe domum VRBANVM, *atque adducite mecum.*
VR. *Vox mea, tibiáque & mea ea, ô fili; noua sed vox,*
Princeps Pastorum quam mittit, quámque remittit,
Fallit te incautum: & me Pana ouiúmque magistrum
Tibricolæ nuper fecêre, audísque vidésque
Voce, sed absentem, montana per omnia præsens
Etsi ego sim, notásque audire & reddere voces
Vnus qui soleo. incœptis absistere noli:
Si quid habes, aude Romano & Apolline dignum:
Et Romanus ego Pastor; Romana propago
Tu quoque, vt & re, dum te sic mea Roma sedêre
Alma dedit, tacitéque ipso quod nomine præfers.
Eia age, sume pedum, Crucis atque sub arbore templum
Ad Dagobertæum cane ibi inter Lilia Regum:
Gallicum vbi audimus, referes cantum ore Latino.
RO. *Iam felix ô semper, Ouis, pecus! Vrbs tibi Roma*
VRBANVM *dedit, ipsa dedit tibi nomen & omen*
Roma suum, VRBANE: VRBANVM *per rura canamus.*
Iam redit & Virgo: redit, atque iniussa, & in Vrbem,
Simplicitas prior: Orbis & aurea doctáque gens fit.
Nunc & oues vltro fugiat lupus: omnia fiant
Altera: in vnúmque & compellat ouile Britannus
Romanum, toto sese qui diuidit orbe.
Romæ AMOR *inuersum nomen: sibi gaudeat Orbis.*

In melius

In melius vertentur vt omnia: ita omnibus esto
Córque vnum, atque anima vna; vnum simul omnia fiant:
Vtraque fecit & vnum OVIVM *cognomine* MAGNVS
PASTOR, *Pastorum Deus, atque hominum omnia, Christus.*
Christi arbor, Crucis arbos: Crux præsaga futuri.
Sub Cruce, Pastorum audítque, & Cruce signat amores,
Qui Cruce arare docet, docet & volitare volucres,
Soluere maliferas ventóque sequente carinas:
Hoc signo lustramus agros, lustrantur & Vrbes;
*Vincet & V*RBANVS *Romani nominis hostes.*
Incipe Sequanicos mecum, mea fistula, cantus.
Aridus vmbrosum frigus captare viator
Quo solet ore; & quo ceruis restinguitur haustu
Ardor aquæ salientis, vbi vrget viuidus Vmber;
Terra vt aquam, nimio torret quam Sirius æstu,
Post venientem hiat; ac rorem exspectare cicada
Impatiens, nunc huc volitat, nunc desilit illuc:
Te sine, sic armenta suis vix ossibus hærent;
*Te sitiunt, V*RBANE*; tibi nemus omne remugit.*
Cunctæ plaudite nunc Gentes, capite orgia mecum:
Orgia sacra cano. DIONYSIVS *hic sacra fecit*
Christicolis. nihil ille lupos, nihil ille tyrannos
Curat, & ipse sibi post funera dira superstes,
Impositum fert ipse caput manibúsque receptum,
Baiulus ipse sui, ipse sui DIONYSIVS *index:*
Misce Sequanicis Romanos, fistula, cantus.
Sequana miscetur Tiberi: redeuntia credas
In caput ipsa suum iam flumina; nec, Mare, certes.
Rex fluuiorum est iam Pastoribus Albula nobis.
Albula mutauit; mutantur nomina Romæ:

Pastor & VRBANVS, qui BARBERINVS & olim,
Felici omine nunc dictus qui nomine, sæcli
Barbariem humanis doctè mutabit auenis:
Vnde loquentes & pinus, syluasque sequentes
Posteritas fidâ pro simplicitate reuisat.
RVSTICE, ELEVTHERI; sed tu mage, RVSTICE, præsens
Agrorum numen, DIONYSI saucia turba,
Quæ socia antè iugum portauit amabile Christi;
Poscentis, quam fertis, opem, succurrite votis.
Ipse ego vestra colam, Diui, bis festa quotannis.
Dicite, & VRBANI æternos præstate labores.
Quid precibus nequeant, audent qui sanguine tanta?
RVST. *En Dionysiadas refero tibi: pando futuras*
Sortes, arcanis quas sortibus ipse latentes
Romanis vestigo; in eóque ea cuncta recludo,
Omnia qui est vnus, Mundi qui se quoque fecit
Pastorem, vt faceret Pastores: clauiger aulæ
Et caulæ, per eum PETRVS; PETRIque subinde,
Haud aliis hominum fatis, VRBANVS & hæres
Successorque datur. Cape nunc quæ singula monstro:
Pastorum nec vana fides, neque inania vota.
RVSTICVS ille ego sum, longa cum veste sacerdos;
GALLORVM pérque arua IOVEM, pérque arma sequutus:
(Sic DIONYSIVM enim plebs Francica ad vsque vocauit,
Francorum vtque duces certarent Marte secundo.)
Româ ambo missi. Cathedram tum fortè sedebat
CLEMENS: & , Quò vos, inquit, via ducet euntes
Transalpina, vocat quoniam LVTETIA, cursu
Tendite Euangelico: vestrum illic, auspice Christo,
Pascite, vt antè, gregem: Antistes sit hic, ille Sacerdos.

Presbyter ipſe adeo manſi, tegit Infula crines
In Parrhiſiacis DIONYSI *cœlitus aruis.*
Tu quoque, ELEVTHERI, *martyr; qui ad ſacra miniſter,*
Sanguine nobiſcum ſacraſti has fluminéque aras,
Quas Crucibus, gradibus diſtinxit cura nepotum.
Gallia, iam ſperes, ſanguis meus. altera, dicam,
Fata reuoluuntur: nunc grandia facta manent te,
Rothomagúmque manent: immo & Paſtoria Regna,
Spémque ingentem cerno Pelaſga reuoluere fata,
Anglicáque: æternam cuncta & componere pacem,
Paſtore VRBANO: *pacem ſublimè ferentes,*
Gloriam in excelſis, cantant ad ſydera cycni.
Nullæ iam lites, iam iurgia nulla redibunt.
Infelix lolium, fugient lappæque nocentes:
Inſeret & ſecura nouas Concordia oliuas,
Quæ VRBANI *æquent victrices ad tempora lauros.*
Suaue rubens murex, Romani magna Senatús
Gloria, ſponte ſuâ paſcentes veſtiet agnos:
[a] *Purpuréique Patres curam experientur Ouilis,*
Arcebúntque lupos, & ab agris triſtia bella.
Pars attendentes operi, per florea rura,
Doctarum inſtar apum, Sapientiæ in ora fluenta
Mellea diffundent, omnes Gentéſque docebunt,
Chriſti & per populos diſtendent nectare cellas.
Aſt alij Paſtoribus inuida & agmina vincent,
Atque inimica fugabunt & fallacia ſigna;
Quæque venena abigent, & non innoxia verba.
Hinc & Apoſtolicam accipient Regna omnia vitam,
In ſua quam ſpargant Paſtores arua Minores.
Sic & agros ſeruabitis, & ſeruabitis Vrbem

a Cóciliũ Lateranẽſe ſub Leone I X. vulgò X. Seſſ. 9. de CARDINALIBVS: *Et quoniam ad Cardinales maximè ſpectat operum optimorũ cura, laborabũt ſcire, quæ regiones Hæreſibus, Erroribúſque ac ſuperſtitionibus cõtra veram & orthodoxã fidem infecta ſint, & vbi diuinorum mãdatorũ Eccleſiaſtica deficiat Diſciplina: quique Reges ac Principes, ſeu Populi, bellis infeſtentur, vel infeſtari timeant. Hæc & huiuſmodi ſcire, ac nobis & Rom. Pontifici pro tẽpore exiſtẽti, referre operã dabũt, vt opportuna & ſalutaria talibus malis ac peſtibus remedia vigilanti ſtudio excogitari valeant.*

Legiferam, quæ vos, ac vestra, tuebitur omnes.
Felices animæ seruatæ in tempora tanta!
Cernite permistos vobis Herôas alendo
Nunc pecori: redeunt opera ad Pastoria Reges.
Omnis habebit ager CAROLOS; CAROLOS *quoque & inter*
(Inter quod corulos olim) nunc fertilis agnus
Parturiet: placidum venientem sentiet æquor
Pastorem, ignotos errat quà bucula campos
Quærentem, aut humeris portandam in ouile reductam
Semper ouem, Angelica vt lætas præsepia voces
Acceptas reddant, dum fluctibus Insula plaudet.
Ergo, vbi vix rudere auditus per amœna vireta
Arcadicus iuuenis pecora inter inertia Pastor,
Arboris obnixum trunco incîdisse libellum
Nunc iuuat, & docilem calamo triuisse labellum.
Ergo Senatores iterum quærentur aratris,
Docta quibus rerum manus ipso occalluit vsu:
Non, queis, indocti in triuiis, nec fistula cerâ
Iuncta fuit, Dominíque iugum sua nec iugà norunt.
Ergo nec agricolas messis, stipendia miles
Deseret, aut rārâ falletur vinitor vua.
Pascet lacte gregem Pastor, pascetur & ipse
Lacte gregis, grex ipse sinum dum molliter implet.
Respice venturo lætantur vt omnia sæclo.
RO. *Sæclum tale meis prædixit* RVSTICVS *agris.*
Desine Sequanicos, iam desine, fistula, cantus.

FINIS.